

cogitet, cum sit metuendus iratus victor armatus. Hoc loco si videor augere dolorem tuum, quem consolando levare debeam; fateor, me communium malorum consolationem nullam invenire, praeter illam: quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaque ego quotidie magis utor: conscientiam rectae voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum: nec esse ullum magnum malum praeter culpam, a qua cum tantum absumus, ut etiam optime senserimus; eventusque magis nostri consilii, quam consilium reprehendatur: et cum praestitimus, quod debuimus, moderate, quod evenit, feramus. Sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis: quae ad consolandum majoris ingenii, et ad ferendum singularis virtutis indigent. Illud cuius facile est docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas. Ejus enim, qui tardior in te levando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tuo salute sententia: de aliis autem non arbitror te expectare quid sentiam. Reliquum est, ut te angat, quod absis a tuis tamdiu: res molesta, ab iis praesertim pueris, quibus nihil potest esse festivius; sed, ut antea ad te scripsi, tempus est hujusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet, et ubi quisque sit, ibi esse minime velit. Equidem, nos quod Romae sumus, miserrimum esse duco: non solum quod in malis omnibus acerbius est videre, quam audire, sed etiam, quod ad omnes casus subitorum periculorum magis objecti sumus, quam si abessemus; etsi me ipsum, consolatorem tuum, non tantum litterae, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigavit. Quanto fuerim dolore meministi, in quo prima illa consolatio est; vidisse me plus quam ceteros, cum cupiebam, quamvis iniqua conditione, pacem; quod etsi casu, non divinatione mea factum est, tamen in hac inani prudentiae laude delector. Deinde quod mihi ad consolationem commune tecum est, si jam vocer ad exitum vitae, non ab ea republica avellar,